



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XVI. Magna eius erga nomen Virginis Deiparæ reuerentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

*Sibi ipse
semper vi-
lis fuit
B. IOSEPH*

vel potius sibi specialem, (tantæ enim sibi abiectiois semper esse consueuerat, vt nihil sibi specialiter vendicaret de meritis) innuit socijs suis, Fratribus secum inrantibus, si aliquid delectabile caperent odoratu. Proditam gratiam, sibi soli debitam, statim perdidit; donec tandem eam prodendo sapius, & perdendo, iterumque recipiendo, eam non esse prodendam, ne perderetur, cautior redditus intellexit.

*Diuini fa-
uores ne
perdantur,
subinde oc-
cultandi.*

Solebat ipse hoc cum vehementi cordis contritione, quibusdam ex Fratribus dicere; se inexplicabiles per manifestationem incautam gratias perdidisse.

CAPVT XVI.

*Magna eius erga nomen Virginis Deiparæ
reuerentia.*

ILLVD quoque silentio præterire non possum; quòd Mater omnis dulcedinis & suauitatis filium suum, quem

ORDINIS PRAEMONST. ^{SI}
quem sibi à primis infantia rudimen-
tis specialiter adoptare dignata est,
odore simili frequentius recreauit.
Hoc quoque ex ipsius relatione didici-
mus: sed nihil eum ex hoc molestia
comperimus pertulisse. Vnde non in-
conuenienter conijcitur, quasdam re-
velationum nulli nec vinqum, quas-
dam certis personis sed tempore de-
bito; quasdam verò omnibus reuelari
debere. Paulus reuelationes suas nulli
aliquando reuelauit. Beata Mater &
Virgo, reuelationes conceptus & par-
tus sui certis personis, tempore debi-
to, manifestare curauit. Prophetæ re-
uelationes suas in audientia totius po-
puli effuderunt. Et has reuelationum
diuersitates in Fratre nostro leuiter
possumus inuenire; si tantummodò
diligentem apposuerimus intellectum.
Sed redeamus ad rem. Moris est vsita-
ti in Ordine nostro (puto, quòd & in
alijs) vt quotiescumque Nomen ve-
nerabile Virginis venerandæ in Colle-

D 2 ctis,

ctis, in Symbolo, in Præfatione, & in Salutatione Angelica, quæ dicitur pro Inuitatorio, nominetur, Conuentus pro tempore veniam petat; in diebus afflictionis & non celebribus super genua, & in diebus festiuis cum manu. Sed noster Sacrista, quotiescumque in diebus festis Conuentui non interfuit, ad nomen amabile & amatum velocissimè se terræ prostravit; &, quantò diutiùs potuit sine scandalo, terræ prostratus adhæsit. Cumque frequenter hoc faceret, contra Ordinis consuetudinem, quidam familiarium suorum eum super hoc conuenire decreuit; petiuitque suppliciter, vt ei causam talis inconsuetæ consuetudinis explicaret. Intelligens ille, se reperisse personam, cui hoc secretum posset impunè & cum vtilitate committi; Ecce, inquit, quotiens ad nomen sacrę Virginis prosternor ad terram, odor omnium florum & aromatum, cum tantæ suauitatis abundantia mihi de terra redole-

re

*Reuerentia
IOSEPHI
erga nomen
Sanctissi-
ma Ma-
tris Dei.*

re videtur, vt semper ibi vellem recumbere, in his delicijs, si liceret. Spe ergo recreationis istius ad procumbendum festinus; sed, quia ægrè tantam delectationem amittere me oportet, sum tardior ad surgendum. Et hîc quoque quamdam delectabilem mihi videor videre contentionem, dum Mater Maria & Filius I E S V S, contendunt beatum iuuenem similibus gratiarum insignibus adornare. Quanta, putas, fragrabat dulcedine in corde illius memoria Matris Domini, ad cuius nomen auditum, terra naribus corporis eius tantum asperfit odorem?

Verè dixerim, memoriam Mariæ * in compositione factum opus pigmentarium. In omni ore * indulcorabitur quasi mel eius memoria, & quasi musca in conuiuio vini, redolens quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus in odorem suauitatis. Studeamus & nos, nares animæ nostræ

Eccli. 49.

* Forè in compositione odoris factam opus pigmentarij.

* Quasi mel indulcabitur e. m. habet ibidem textus. Eccli. 50.

D 3 (quas

(quas puto posse dici vim concupiscibilem) purgare ab omni delectatione peccati; vt in memoria abundantia suauitatis Domini, & charissimæ Matris eius, nos quoq; delectari possimus.

CAPVT XVII.

Videt Angelos in Matutinis Laudibus incensum ministrantes.

ALAVDE Dei & commendatione Fratris nostri, & ab ædificatione morum non vacat & illud, quod eodem Fratre nostro referente cognouimus: videlicet, quòd in Laudibus Matutinis, cùm cantaretur ex more Euangelicus Hymnus, Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, & cetera; Dominus eum, quem ex omni plebe sua sibi peculiariter elegerat, suauitate mirifica visitare dignatus est, faciens illum sentire suauitatem odoris incensi. Quippe, cùm in Ordine nostro. tantùm in quatuor solemnitatibus

Lucæ i.

Sub Cantico Benedictus similem sentit fragrantiam.